IMMORTALI HEROI,

HEROICO MOECENATI,

CUI CUM HORATIO DICAM:

Mœcenas atavis edite Regibus:
O & præsidium, & dulce decus meum!

CUI CUM VIRGILIO LOQUAR:

O decus! ò famæ meritò pars maxima nostræ
Mœcenas, pelagoque volans, da vela petenti.

WANDALICO PERSEO,

Qui sibi dat clypeum, dat acutæ cuspidis hastam,
Dat galeam capiti, defenditur ægide pectus.

QVI GORGONEAM INFIDELITATIS MEDVSAM CRYSTALINO SVPERAVIT SCVTO, ADAMANTINO JVGVLAVIT GLADIO.

HISPANO MAVORTI,

DE QUO CONCINAM CUM CLAUDIANO:

Mavortia signa rubescunt
Floribus, & subitis animantur frondibus hastæ.

CVJVS NOBILIS TRVNCVS, CVJVS ILLVSTRIS RAMA, CUJUS INCLYTA ARBOR,

Sicut Turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, Omnis Armatura Fortium.

CVJVS ITERVM, ATQVE ITERVM, ET MILLIES nobilis truncus, regia quidem, millies illustris, & millies inclyta arbor: unde tot thyara condecorati Viri, tot corona exornati Heroes, tot purpurati Principes, tot mitrati Præsules, tot præclari Magnates, tot generosi Proceres, quos inter tot Alexandri, quot Magni, tot Cœsares, quot Augusti.

MAGNO HISPANIÆ VIRO,

QUI ALEXANDRO MAJOR, CÆSARE augustior, Achille fortior, Hectore validior à prima penè sæculorum memoria optima nobilitatus progenie, maxima que illustratus origine, Augustissimam suam Genealogiam clarissimis stemmatibus insigniens, suæ Genti tantum auctoritatis edidit, tantumque Majestatis addidit, ut suum Genus multi Sydus, plures Luciferum, plurimi Solem, omnesque lætitiam Bœticæ, & honorificentiam Populi nostri venerentur.

PLURA SUNT JAM DICTIS, QUÆ ALIIS DICENDA RELINQUO: OMNIA TAMEN CEDERE DEBENT.

CUI ERGO?

EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. EMMANUELI

CENTURION, FERNANDEZ DE CORDOBA, MENDOZA, CARRILLO, ET ALBORNOZ, MARCHIONI DE ESTEPA, DE ALMUñA, DE ULLA, Vivola, & Monte de Vay; Dño. de Pedrera. Patrono Generali, & perpetuo Ecclesiarum, Conventuum, Heremitarum, Beneficiorum, Capellaniarum sui amplissimi dominii, necnon Bononiensis Majoris Colegii.

AC DENIQUE INTER MAGNATES HISPANIÆ Primæ Clasis obtinenti seriem.

HUIC ERGO TAM SUPREMO DOMINO, AC TAM præstantissimo Equiti Bœtica Provincia PP. Clericorum Regularium Minorum pro comitiis Provincialibus congregata, in gratitudinis signum D. in venerationis ostentum O. & in æternum benevolentiæ monimentum S. hæc Theologica Thomistica asserta.

ASSERTIO PRIMA.

O*Culus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his, qui diligunt illum.* D. Paul. 1. ad Corinth. 2. hinc deducitur beatitudo supernaturalis, ad quam ex auxilio gratiæ, & suprà omnes naturæ vires homo elevatur. In solo Deo consistere beatitudinem objectivam, de Fide tenendum est. Sed An si Deus videretur ut unus, & non ut trinus, subsisteret beatitudo hominis, celebris inter Theologos insurgit dificultas. Sed vestigiis Ang. Mag. inhærentes, negativæ parti adhæremus (etiam admisso, quod relationes Divinæ peculiarem perfectionem non dicant.) Animam Christi Domini non esse beatam formaliter, sed tantum radicaliter per unionem Hypostaticam, sectando doctrinam D. Tho. defendimus; alias enim non actuaretur, & perficeretur humanitas per visionem v. g. & amorem Dei; cum beatitudo formalis, teste D. Tho. hic q. 3. art. 2. Sit ultima perfectio naturæ rationalis. Inde etiam infertur cum D. Tho. quæst. 44. de verit. art. 1. in corp. & q. 26. art. 10. ad 8. Deum ipsum non esse beatum formaliter pro priori ad intellectionem, & amorem sui.

AS

ASSERTIO SECUNDA.

S*imiles ei erimus: quia videbimus eum ſicuti eſt.* Joan. c. 3. Ubi ly *quia* ſive denotet cauſam formalem, ſive diſpoſitivam manifeſtet, convincit ſimilitudinem cum Deo in beatitudine haberi per aliquam operarionem: vi cujus doctrinæ defendere conamur, beatitudinem formalem non poſſe conſiſtere in aliquo habitu, ſecluſa operatione, nec in agregato ex habitu, & operatione. Sed an poſsit conſiſtere in operatione increata, unita mentibus Beatorum, non facilè inter Theologos exagitatur: Sed nos conſequenter ad doctrinam, nuper relatam, fundatam in D. Tho. in 4. diſt. 49. quæſt. 1. art. 2. & hic quæſt. 2. art. 1. negativam amplectimur ſententiam: alias cum beatitudo ſit vita, qua beatus vivit, ſi illa in operatione conſiſteret increata, in eadem & iſta. Ex his etiam preclare conſtat, Beatitudinem quoad ſui eſſentiam non poſſe conſiſtere in aliqua operatione partis ſenſitivæ: Deus enim, ut pote finis ultimus ſumme immaterialis, actibus corporeis poſideri nequit. Unde reſtat in examen vertere, in quo actu Beatitudo quoad ſui eſſentiam conſiſtat? An intellectus, an voluntatis? Sed nos in actu intellectus, ſcilicet in viſione cum D. Tho. conſiſtere defendimus.

ASSERTIO TERTIA.

G*Audebitis, & exultatitis in sempit ernum.* Isai. 65. Ex quibus verbis satis infertur, amorem esse Beatis necessarium, necessitate saltem extrinseca, proveniente ex decreto, quo Deus defacto decrevit, nunquam cessaturos ab amore. Num verò hic amor, quo Beati diligunt Deum, sit necessarius quoad specificationem, & quoad exercitium? non levis inter Autores est inventa controversia; sed Angelicæ doctrinæ defensores necessarium quoad exercitium propugnamus. Cujus in doctrinæ consequentia tenemur defendere, gaudium amicabile (etiam distinctione admissa ipsius ab actu amoris amicabilis) quo beati complacent in bonis divinis, ut possessis à Deo per summam identitatem cum illis, esse etiam necessarium quoad exercitium. Cum D. Tho. in 4. dist. 48. q. 1. att. 3. consequenter defendimus, gaudium concupiscentiæ de Deo, ut à Beatis possesso, Deo ingrediente in recto, & possessione in obliquo, esse etiam necessarium quoad exercitium.

ASSERTIO QUARTA.

Ut exiberet sibi Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam, neque rugam. D. Paul. ad Ephesios 5. concors inde sententia Theologorum deducitur, unanimiter asserentium, Beatos impeccabiles fore. Qua propter beatitudinem, quatenus consistentem in actu visionis, in conjungibilem cum peccato actuali lethali defendimus, sive visio consideretur secundum denominationem beatitudinis, sive ut visio essentialiter est. Ad compatibilitatem peccati habitualis cum clara vissione Dei descendentes, & immarcessibilem vitam istius profitentes, inconjungibilem etiam ratione sui, & essentialiter cum peccato habituali defendimus. Sed jam majorem visionis perfectionem in quirentes Theologi, non de actu, non de habitu, sed de antecedenti potentia ad peccandum curantes, inquirunt: *Vtrum in beatis detur potentia antecedens ad peccandum in sensu diviso beatitudinis?* Sed nos cum D. Thọ. hic q. 4. art. 8. (Velpere defendimus) *Vissionem claram Dei ratione sui esse inconjungibilem Physice, & Metaphisice cum potestate antecedenti ad peccandum.*

Minervalis parabitur palaestra die 17. *Sept. in hac PP. CC. RR. Minorum Spiritui Sancto sacra Domo, ubi defensurus astabit* P. ANTONIUS DE FLORES *sub tutela P. EMMANUELIS BLAZQUEZ ejusdem Domus Sacrae Theologiae Lectoris, hujus Provinciae Secretarii ac in Hispalensi Universitate Doctoris Lauro insigniti.*